



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

CXXXII. CXXXII. Die Kirchenversammlung zu Basel theilt dem Rathe zu Spandow auf dessen Antrag ihre wegen Beschränkung des Interdicts gefaßten Beschlüsse mit, am 27. August 1435.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54728)

CXXXII. Die Kirchenversammlung zu Basel theilt dem Rathe zu Spandow auf dessen Antrag ihre wegen Beschränkung des Interdicts gefassten Beschlüsse mit, am 27. August 1435.

Sacrosancta generalis Synodus Basiliensis, in spiritu Sancto congregata, vniuersalem ecclesiam representans, Ad perpetuam rei memoriam. Tanto sumus ad concedendum petentibus laudabili per nos ordinatione statuta et decreta sub forma autentica priores, quanto ex hoc statutis et decretis huiusmodi circa eorum observationem valeat fides certior adhiberi. Hinc est, quod nos tenores constitutionum inferius descriptarum per nos dudum editarum et in sessione publica per nos in majori ecclesia Basiliensi vndecimo Calend. februarii anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto celebrata publicarum et apud acta nostra de mandato nostro descriptarum, Ad dilectorum ecclesie filiorum Proconsulum, Consulum ac vniuersitatis opidi Spandow, Brandenburgensis dioeceseos, qui tenoribus huiusmodi se in iudicio et extra asserunt indigere, supplicationis instantiam de actis ipsis extrahi et presentibus annotari fecimus qui secuntur in hec verba: Ad vitandum scandala ac multa pericula subueniendumque conscientis timoratis statuit, quod nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscunque diuinis vel extra, pretextu cuiuscunque sententie aut censure ecclesiastice seu suspensionis aut prohibitionis ab homine vel a jure generaliter promulgate, teneatur abstinere vel aliquem vitare aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio vel censura huiusmodi fuerint in vel contra personam, collegium vel vniuersitatem, ecclesiam aut locum certum vel certam a iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse, aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam consulerit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari aut aliquo juris suffragio excusari: nam a communione illius abstinere vult juxta canonicas functiones, per hoc tamen huiusmodi excommunicatione suspensos, interdictos seu prohibitos non intendit in aliquo relevare nec eis quomodolibet suffragari. Quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa conueverunt scandala evenire, statuit hec sancta synodus, quod nulla civitas, opidum, castrum, villa aut locus ecclesiastico supponi possint interdicto, nisi ex causa seu culpa ipsorum locorum aut domini seu rectoris vel officialium; propter culpam autem seu causam alterius cuiuscunque private persone huiusmodi loca interdici nequaquam possint auctoritate quacunque ordinaria vel delegata, nisi talis persona prius fuerit excommunicata ac denunciata seu in ecclesia publicata ac demum seu rectoris vel officialis ipsorum locorum auctoritate. Iudices requisiti huiusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint aut ad satisfaciendum compulerint, qua etiam post biduum ejecta recedente vel satisfaciente mox divina resumi possint, quod etiam impendentibus locum habeat. Nos igitur volumus et auctoritate vniuersalis ecclesie decernimus, quod tenores huiusmodi vim plenam roburque et vigorem habeant eisque, vbicumque exhibiti fuerint vel ostensi, in omnibus stari debeat et fides plenaria adhiberi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre voluntatis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et vniuersalis ecclesie se noverit incursum. Datum Basilee, sexto Kalendarum Septembris, anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto.

Nach einer Abschrift im Archive der Stadt Spandow aus Hibbins Beiträgen IV, 147.